

**www.e-rara.ch**

**Explanatio epistolae apostoli Pauli ad Philemonem ...**

**Humel, Johann Henrich**

**Tiguri, 1670**

**Zentralbibliothek Zürich**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-16373>

Sermo CXCVII.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

dum ruri orabat, Rebecca ipsi obviam venit, ut certus esset, illam esse fructum precum, quia in ipso instanti precum adfuit, Gen. 24:63. Sic certam fecit Ecclesiam, Act. 12:12, 28. quod precibus suis Petrum liberavit eo ipso, quia Petrus venit dum adhuc instabat precibus. Ut ita Deus sæpe per circumstantiam temporis palam faciat, se preces exaudire, cum nobis obtingit id, quod illi Joh. 4:53. qui expertus est, Deum sæpe juvare eo ipso momento, quo preces funduntur.

b. Deus sæpe adest tempore maximè opportuno & accepto, cum cor maximè aptum est ad recipendam gratiam; & hoc tempus Deus expectat, Ef. 30:18. Eo sæpe tempore, cum necessitas urgere videtur auxilium, Sic Ef. 57:16. Ecclesia petit solatium Spiritus, & ecce venit in extremitate, ubi defecit Spiritus; potuisset antè, sed consultò differt, ut etiam Act. 12. apparet. Petrus in carcere erat aliquot dies, vers. 5. & potuisset Deus ipsum liberasse eo ipso momento, quo Ecclesia cœpit orare; at Deus distulit liberationem studio usque ad mane diei, quo Herodes ipsum necare constituit; hoc tempus erat opportunum & idoneum ad liberationem, ut habetur, Psal. 102:11. Et si Deus tali tempore, cum maximè extremitas urget, adest auxilium præstans, indicio id est, eum exaudivisse ex amore speciali, Deusque vult talem amorem à nobis extolli, Ef. 30:18. cum interim sanctum Israël non debeamus limitibus coarctare, Psal. 78:41.

3. *Ex effectis* etiam concludere licet, an id, quod à Deo impetramus, sit fructus precum, an verò non nisi ex communi & generali providentia Verbi gratià,

a. Si id, quod obtinuimus, corda nostra Deo facit propiora, ut per illud magis magisque Deo uniamur; crux enim unit, quanto magis beneficia, quæ vincula sunt, quibus Deo obstringimur? ea verò, quæ ex communi providentia fluunt, voluptates magis augent ac animam irretire solent, nobis conceduntur ut Michal Davidi in ruinam. Sic Psal. 69:22. Deus Israëlitis dedit desiderata, sed simul ipsos tradidit cupiditatibus, Psal. 106:15. fieri potuit, ut corpus ipsorum faginatum fuerit carne, & anima interea defecerit. Confer Exod. 32:5. 1. Cor. 10. Quæ autem obtinemus per preces, illa nobis sunt sanctificata, 1. Tim. 4:5. & ut à Deo ad nos veniunt, sic nos iis utimur ad Dei gloriam & ex ipsius voluntate: Sic Hanna impendit Samuelem, quem impetraverat precibus; Deus ipsum dedit, illa ipsum Deo reddit ut ipsi debitum & debitum, 1. Sam. 1:27, 28. Si ergo tecum comperis, beneficia, quæ Deus largitus est, te permovere, ut abstineas à peccatis eaque deplores, &c. sunt certò fructus precum. Sic Psal. 6:8.

b. Si potiùs gaudes & acquiescis in Deo, quàm in eo bono, quod ab ipso accepisti; potiùs in datore, quàm in dono; prout Hanna, exultat

*animam eam in Deo*, 1. Sam. 2:1. ut ut Samuel dilectus, Deus tamen dator magis dilectus. *Cyrrill. Alexandr. Vos omnia abstulistis bona, at non ipsum Iesum Christum optimum.* August. *Esti Deus mihi daret omnia bona, non sufficit, nisi det se ipsum.*

c. Si post acceptum beneficium ore & corde gratus es, tamque cupidus es ad gratiarum actionem, quàm fuisti ad accipiendum bonum, alioqui natura perit libentius, quàm gratias agit, &c.

Hanna tam ardens fuit in gratiarum actione, quàm fuit in petitione, 1. Sam. 2:1. Sic David postquam liberatus fuit, Psal. 11: Sic 1. Thess. 3:9, 10.

d. Si beneficium acceptum te denuò instigat ad preces, ut Psal. 116:1, 2.

e. Si vota, quæ Deo nuncupasti, statim post exauditionem exsolvis: ut David Psal. 66. 13, 14. ratio subiungitur vers. 19. sic Job. 22:27.

f. Si omnia, quæ accepisti etiam per media, Deo adscribis, eumque propterea glorificas, Psal. 50:15. & Psal. 18:6, 7. Ef. 26:17. Ef. 12:18.

g. Si beneficium, quod accepisti à Deo, constans est, & ut benedictio permanens teque reficiens. Sic Isaac accepit Rebeccam, quæ verè erat benedictio à Domino, Gen. 24:18, 19. Samuel talis benedictio Hannæ: contra Jacob benedictionem impetravit, verum non per preces, sed per fraudem; at per annos viginti exul à laribus paternis factus est. Israël impetravit Regem, &c. Hos. 13:11. Bona, quæ à communi providentia, sunt instar soli inculti, licet bona crescant, mixta tamen sunt spinis & lolio; sed ea, quæ fructus sunt precum, instar terræ cultæ sunt; illa sunt instar metalli scoriis permixti, hæc instar auri pura sunt, Prov. 10:22.

## SERMO CXCVII.

### Casus X.

**Q**uando quis id, quod precatus est, non obtinuit à Deo, unde sciet, preces suas nihilominus Deo acceptas fuisse, non autem ab eo reprobatas?

*Resp.* 1. Hoc notandum ante omnia, quòd Deus sæpe preces nostras exaudiat, etsi illud denegat, quod ab ipso petimus: quædam enim precamur conditionaliter, ut Christus; *Pater, si possibile, pro voluntate tua, transeat,* &c. Et sic nihilominus exaudimur, etsi peti- tum denegat, ut de Christo videre est, Hebr. 5:7. Idem videmus in Mose, qui etiam petiit intro- mitti in terram Canaan, si Deo placeret, Deur. 3:23, 26. hoc denegatum, sed melius datum, &c.

At, inquis, quomodo illud intelligam

Ggg

Rom.

Casus X.  
Quomodo  
preces sint  
exaudite,  
quando res  
petita non  
datur.

Obj.

Resp.

Rom. 8: 26. Spiritum sanctum nobis dicere preces: item illud 1. Cor. 2. 10. ipsum Spiritum scrutari omnia, etiam profunditates Dei, annon sic novit & intelligit, quæ Deus daturus, quæ denegaturus sit? Si ergo novit, Deum non daturum, cogiter aliquis, cur jubet illud precari, & non potius id, quod daturum intelligit? *Resp.* Spiritus sanctus nobis adest cum precamur, prout adest cum concionamur, aut alia exercitia ab ipso mandata perficimus secundum verbum ejus, quod regula est actionum nostrarum, non verò voluntas ejus occulta, quam Deus sibi servat; unde Spiritus sanctus licet noverit, quos Deus convertere velit vel nolit, tamen Ministris suis adest concionantibus, licet multi adfint qui converti nolunt, nec convertentur unquam, nihilominus Spiritus sanctus suis Ministris auxilium præstat, quia est Dei ordinatio. Huc pertinent verba Apostolica, Rom. 8. *Implet infirmitates nostras*, preces, quas ritè effundere ipsi non possumus, ipse exprimit, & format ardorem, qui nos decet secundum ordinationem & mandatum Dei revelatum, ad Dei gloriam nostramque salutem. Et hæc preces Deo sunt acceptæ, quia ipsius verbo sunt conformes, sicque cum submissione voluntati ejus, ut uti interini Deus nobiscum agat secundum suum decretum.

2. Deinde notandum, quòd dum Deus denegat desiderata, sibi reservet interea dare nobis meliora, & sic etiam exaudivit preces: Hebr. 5. Deus exaudivit preces Christi, etsi non à morte liberavit; melius quippe fuit, Christum bibere poculum, sic enim ad gloriam Dei Patris fecit, deinde auctor salutis nobis factus est. Si filiulus Davidis mansisset vivus, prout ipse vehementissimè oravit, testis vivus fuisset turpitudinis ejus; Deus nihilominus, etsi id denegavit, Davidem tamen exaudivit, siquidem dedit Salomonem, 2. Sam. 12: 24. Idem David oravit pro Absolomo, quem in deliciis habebat, 2. Sam. 18. & 19. qui si vivus mansisset, ipse David cum domo sua nunquam pervenisset ad requiem; idèd Deus hoc denegavit, & tamen Davidem exaudivit, ipsum è periculis liberando.

Abraham precatus pro Ismaële, Gen. 17: 18, 19. eum exaudivit Deus, sed in Isaaco. Sæpe pater orat pro infante, ut Deus hanc concedat gratiam, ut vestigia patris premere ipsique in munere succedere possit; Deus exaudivit, sed in alio filio; prout Joseph filios suos stitit patri seni, Ephraim quidem juniorem ad sinistram, Manassem verò primogenitum ad dextram, Jacobo interim manu sua illum ad sinistram prius contrectante ipsique dextrâ suâ benedicente. Sic Deus sæpe multò aliter de benedictione sua disponit, quam nobis imaginati sumus, & tamen exaudivit.

3. Adhæc & illud observandum, nos non excidere scopo precum nostrarum, etsi denegeret quæ precati sumus. V. g. Scopus tuus in preci-

bus ac fundamentum esse debet, ut Deus largiatur quicquid ad gloriam suam, Ecclesiæ emolumentum, & consolationem propriam facit; fieri autem potest, ut Deus petitionem particularem denegeret, si autem ipsius gloria, Ecclesiæ bonum & salus tua promoveatur, annon Deus te exaudivit?

4. Probè etiam notandum, quales effectus in nobis sentiamus ad denegationem exauditionis, cum non dat, quæ petimus.

a. Si nihilominus Dei justitiam & sanctitatem agnoscimus & celebramus, testamurque nostram indignitatem, dicentes cum Davide, Psal. 22: 2, 3, 4. qui post sese humilians dixit, *vermis sum, non homo.*

b. Si nihilominus sumus contenti, ut Moses, cum ipsi Deus denegasset terram Canaan, Deut. 3. *Sufficit tibi*, inquit Deus; Moses verò contentus aquiescit; sic Paulus, 2. Cor. 12. *gloriabor in infirmitate mea*; sic David, 2. Sam. 12: 19, 20, 21. cogitat se venturum ad filiolum suum, & hoc ejus contentum reddit animum, quo etiam solatus est Bathsebam.

c. Si Deo gratias agimus, qui omnia in bonum nostrum dirigit, sive det, sive denegeret: sic David se confert in templum, 2. Sam. 12: 20. etsi infans mortuus.

d. Si semper manemus prompti ad precandum, si preces non fiunt cum tædio, ut ut Deus unum vel alterum subinde denegeret, nobisq; nostrisq; precibus quasi irascatur, Ps. 80: 4. Sic Ps. 44: 17. etsi Deus iratus, non tamen cessarunt precari, non neglexerunt fœdus. Sic si pia cum resolutione inquis, manebo in precibus, quomodo cunque res cedant, etiam si Deus exaudire me recusaret in hac vita, tamen non desinam orare, &c. Dilecti, si hæc omnia in vobis sentitis; si Deum ob sanctitatem semper celebratis: si contenti esse potestis licet Deus denegeret, si manetis grati; & si tandem ad preces prompti, &c. certissimè Deus vos exaudivit etiam si non dederit, quæ petiistis.

## Casus XI.

**A**T quid si adhibita omni diligentia non sentiam, num Deus preces meas sit exauditurus & responsum daturus nec ne; quid in tali casu agendum? *Resp.* Si nullum planè responsum sentis ad preces, hoc age,

Casus XI  
Quid faciendum, quando nullum accipimus responsum.

1. Examina & quære causam unde hoc proveniat, quòd responsum non sentis, & reperies culpam vel in te & persona tua, vel in precibus tuis, cujus examina qualitates & requisita in superioribus indicata; & si minus rectè precatus es, Jac. 4: 3. corrige & preces itera.

2. Persta in precibus, nec de iis remitte, 1. Theff. 5. Luc. 18: 1. Rom. 12: 12. exemplo Hannæ, Davidis & Danielis, Bartimæi & aliorum.

3. Pa-

3. Patienter expectata responsum Domini, expectat te Deus, El. 30:15. Tu expectes ipsum, ut David Psal. 40:1.

4. Subjice te voluntati Dei, dicendo cum Eli; Deus faciat quod sibi videretur. Sic David 2. Sam. 15. Sic tu; Si Deo placet, adhuc respondebit petitioni meae: sin minus, hic sum, mecum agat pro beneplacito suo.

SERMO CXCVIII.

Casus XII.

CASUS XII.  
Quomodo  
de con-  
junctis pre-  
cibus judican-  
dum.

**C**um alii mecum conjunctis precibus rem unam petunt, Deusque nos exaudit & petitioni satisfacit, unde sciam, me etiam meis precibus obtinuisse beneficium eque ac alios, & rem juvisse? Resp. Hæc quæstio non levis est; Satan enim, holtis precum infensissimus, si homo in precibus exauditur, & obtinet petita, objicere solet; Dedit tibi quidem Deus quod orâsti, at id non amore tui, non ita charus Deo es; sed hoc precibus aliorum adscribendum, quos Deus exaudivit, qui te meliores: non hoc ob preces tuas factum est, &c. Unde ergo homo sciat, suas quoque preces, cum aliis conjunctas, exauditas esse?

Nota pri-  
ma.

Resp. 1. Si cor tuum cum cordibus eorum, quibuscum precatus es, consentit, eundemque animum cum ipsis habet, tum maximè etiam preces tuæ exauditionem promoverunt, prout exemplum habemus Exod. 17:12. & Math. 18:19. ubi vox extat, quæ harmonicam orationem exprimit. Oratio enim est musica in auribus Dei, adeoque etiam Melodia Dei, Eph. 5:19. ubi precamur non tantum rem unam, sed etiam uno affectu: melodia enim non tantum vocis, sed & cordis est, quæ Deo accepta: Si ergo Spiritus Dei Patris & Jesu Christi cor tuum ita bene afficit, & cupiditates tuas velut chordas cordis tendit cum aliis, non est quod dubites, quin etiam preces tuæ juverint exauditionem, & nisi precatus fuisses, non exauditus fuisses; Deus enim sæpe numerum vocum designat, ut factum tempore Abrahami, cum pro Sodomæis oraret Gen. 18. ubi ait: *Si adhuc sint decem*, &c. qui cum reperti non fuerint, Deus ad judicium perrexit.

Si ergo alii longè à te distiti orant pro te, tuque precaris rem eandem cum ipsis ( prout sæpe fieri contingit, sicut Ezechiel ad rivum Chebar, Jeremias in Jerusalem, disjuncti loco, prophetiis tamen valde similes, siquidem acti uno eodemque spiritu; sic tempore Messiae eadem erat expectatio in cordibus multorum, similesque preces, Luc. 2:27, 28. Et sic hodie cum oramus hic illicve, alii de aliis non cogitantes, tamen sub uno & eodem sumus cælo, & suspicientes nos sol aspicit desuper, unus idemque nos agit spiritus, & omnes preces conveniunt

in unum in excelsis, Jesus Christus eas simul imponit thuribulo suo aureo, Apoc. 8.) Si ergo, inquam, sic cum aliis idem oras, eademque habes affectiones orandi pro aliis, prout orârunt pro te, id ab uno provenit spiritu, sicque partem capis partem in exauditione.

2. Si cor tuum repletur gaudio, quando obtinuisti, quod unâ cum aliis precatus es, aut quando audis aliis obtigisse, quod ipsis fuisti precatus. Si quoque gaudio tibi est audire, idem illud, quod tibi Deus concessit, ab aliis rogatum & petum fuisse pro te. Verbi gratiâ: Deus hoc in casu nobiscum agit, prout cum amicis optimis agere solemus; si novimus, quid ipsis auditu sit jucundum, id ipsis denunciare solemus simul atque possumus, statim ac id contigit, quod scire appetunt, ilicò cogitamus, hoc est id quod amicus noster expectavit, ipsi nunciabo celerrimè, lærabitur hoc nuncio, &c. Sic, inquam, Deus agere solet nobiscum, Verbi gratiâ: Simeon senex cum aliis multis summo desiderio expectavit Messiam, qui regnum Israël restauraret. Deus enim ei revelaverat, ipsum non moriturum prius quàm viderit Messiam; at unde Simeon colligere potuit, Deum expectationem & preces suas hoc in casu implevisse unâ cum petitione aliorum?

Nota secunda.

a. Ex eo, quia Deus hunc nuncium de Messia nato, ceu Evangelium novum, ipsi patefecit, egit ipsum in Templum eo ipso tempore & horâ, quâ Jesus parvulus in Templum deportabatur, Deoque offerebatur, Luc. 2.

b. Ex eo, quia ex hoc nuncio tantam concepit lætitiâ, ut præ lætitiâ mori voluerit, cogitans, se tempore magis opportuno mori non posse.

Idem contigit piæ Annæ, quæ Deo servivit dies noctesque; Deus sic rexit, ut eodem momento accederet, Luc. 2:38. Hisce aliisque similibus circumstantiis Deus notam nobis facit exauditionem precum nostrarum, & quod etiam nostræ inter aliorum communes preces prævaluerint apud ipsum.

3. Si etiam Deo ex toto pectore gratias agere potes pro benedictione aliis concessa post preces tuas pro illis susas, argumento est, Deum exaudivisse etiam preces tuas. Verbi gratiâ: Si navis è præsentis periculo liberata appulit, is quidem maximè Deo gratias agit, ad quem navis pertinet; sed & Deum celebrant affines & amici, qui etiam solliciti fuerunt, ut navis periculo eximeretur, idque precibus efflagitarunt: tales etiam agnoscunt, Deum exaudivisse preces suas, quia in navi etiam aliquid ad ipsos pertinuit: sic se hic res habet; omnes partem habemus in una navi, nobis orandum in communi pro ejus conservatione; alius plus, alius minus in ipsa habet, illâ conservatâ, omnes causam lærandi habent, & gratitudo debet esse communis; & qui non sunt grati pro conservatione, satis produnt, se partem in mercibus